

Hinc itaque si in numero exponentiali exponens potentiae atque radicis formam fractionis decimalis prae se non ferant, ad eam, manente valore numeri exponentialis eodem, revocari poterunt, et etiamsi nonnunquam ea operatione facta, exponens potentiae perfectus numerus integer non sit, si exponens radicis sit potentia numeri io satis magna, absque notabili errore exponens potentiae statui poterit numerus integer proxime minor.

§. 43. *Coroll.*

Nonnunquam loco ejus numeri proxime minoris rectius ponitur numerus integer vero valore proxime major, si nempe pro hocce numero majore valor numeri exponentialis ad valorem verum propius accedit, quam si sumatur exponens potentiae numerus integer proxime minor. Id accidit, si in exponente potentiae character sive cyfra subsequens quinque unitatibus major esse deberet, siquidem numerus ille uno adhuc caractere augendus foret. Si nempe sit numerus $A^{\frac{543827}{1000000}}$ non nisi quinque characteribus in exponente potentiae scribendus, scribendum foret $A^{\frac{54383}{100000}}$, non vero $A^{\frac{54382}{100000}}$, ea de causa, quod numerus 543830 ad valorem

C rem